

videntem secundum merita, aut demerita, cum hoc ad causas naturales possit reduci, vnde dicit Commentator *Metaph. com.* 7. quod qui subtrahunt actiones corporibus naturalibus ut distinguiscant Deum, tanquam immediate omnia facient, non habeant cerebrum naturaliter habile ad bonum: Vnde addit Aureolus quod si natura possit recipere talem virtutem actuam, derogari videatur diuina bonitatis, si non communicavit eam; nam sic Deus videbitur iniudicis volens omnia per se facere, que ratio etiam facit pro opinione superius allata de abnegatione inmediata conuersus diuini cum causa secundum ad earum actiones. Addo quod prosperitas fortunae est absque meritis, vel demeritis, quandoquidem & boni & mali, fideles & infideles sunt bene fortunati, id est aliqui ex bonis, aliqui ex malis, aliqui ex fidelibus, aliqui ex infidelibus, &c.

Nec etiam videtur esse reducenda causa benè fortunatorum ad corpora cælestia, cum nullam habeant connexionem ipsa sydera eorumque influentia cum inventione thesauri.

Concludit ergo Aureolus, quod prosperitas, seu bona fortuna, qua quoddam comitatur, fere semper consistat in quadam occulta industria, quam habent diuersi homines in diuersis operibus, quae industria vocatur ab Arit. 6. Eth. Eustochia, seu bona coniecta & in libro de bona fortuna vocatur *virtus diuina*, ponitur Aureolus hanc differentiam inter Eustochiam & Eubuliam, cuius officium est bene consulere, quod Eubulia sit cum ratione, & consideratione circumstantiarum, omniumque mediorum, qua perduncunt ad finem; at Eustochia assumat medium absq; ratione de aliquo agendo, videmus, que diuersos homines tales habere industrias, de quibus tamen non possint reddere rationem; Alij enim habent respectu medicacionum, alij respectu artis nauticæ, alij respectu armorum, sicutque de alijs.

Et certe tales industrie inditæ sunt homini, bus naturaliter, cum enim eas experientia compertas faciat, nec possimus reddere rationem, vnde natae proueniant, necesse est fateri nobis esse inditas naturaliter, de illis videatur fusiūs Aureolus, quae omnia referre est extra propositionem, unum tamen praeter ceteros norandum quod ipse ait, nimur insipientes magis esse fortunatos; Rationem afferit quia ibi est plurima fortuna, vbi est minimus intellectus, tales enim reputantur insipientes, qui nec sunt consilij capaces, nec gnometrici, id est recte sentientes ex altiori quodam iudicio circa finem, nec eloquentes, nec sciunt exprimere causas, & rationes factorum, sed agunt ex impetu industria, ideoq; astimantur fatui, & impetuosi, & videntes sequi Corpus, existimat autem Aureolus dictam Eustochiam contrahi à naturali complexione, nec esse inconveniens, quod eadem habeat homo virtute constellationum, qua fuerunt in ipsis Complexione, diciture hoc esse de mente Philosophi, eamq; habentes non indigent consilio, quia talis coniecturalis virtus perducit eos pondere suo ad aliquid, ad quod non possint per consilium duci, & si queratur ab illis propter quid operentur, aut cur? Respondebunt se nescire,

placere tamen sibi tales actus, reducitur autem dicta virtus ad categoriam qualitatis, nempe ad potentiam secundam eius speciem; est enim quædam facilis ad conjecturam habilitas.

Inter effectus fortuitos, & Casuales primum locum tenent monstra sic dicta à demonstrando teste Cicerone *leb. de natura Deorum*, definiti vero monstrum Arift: 2. Phys. Monstrum est peccatum naturæ agentis ob aliquem finem, quo rāmen frustrat ob corruptionem alius principij: Vel Monstrum est vitium naturæ deficiens a suo fine ob aliquod impedimentum raro contingens.

*Num. 102
De monstris*

Monstrorum varia sunt genera, sed præser-tim septem scilicet in sexu, cuiusmodi est hermaphroditus; Secundo ob aliquam qualitatem extraordinariam. Tertiū ob defectum aut excessum magnitudinis, vitæ pygmeis, & gigantibus. Quarto in situ, vt si membra sunt transposita. Quinto in figura, vt si quis nascatur cum vultu ferino. Sexto in virtute & moribus, vt sunt antroposagi. Septimo in numero, vt si homo nascatur biceps, aut monoculus.

Contingunt vero huiusmodi monstra aut ex superfluitate, aut defectu materiæ, aut ex qualitate eiusdem materiæ, scilicet nimia siccitate, nimia humiditate, & huiusmodi. Item aliquando propter influentiam cælestem, que illo tempore dominatur; Item contingunt monstra aliquando ex parte recipientis materiam, quando enim cellula, in qua materia recipitur, corruptitur, generatur homo gibbosus; quando recipitur in pluribus cellulis, nascitur homo cum duobus capitebus, & hoc est quando cellulae sunt inferius coniunctæ, & superius diuisæ; at quando cellule sunt coniunctæ superius, & diuisæ inferius, tunc homo nascitur cum duobus corporibus & uno solidi capite, plures monstrorum species, & causas referre longum nimis foret: legantur de his Naturalista, plures enim auctores de illis integra confecere volumina, quorum non infinitum locum tener illud, cuius titulus est *historia prodigiorum Gallico Idiomate* conscriptum, etiam multa præclaræ habet hac de re Cardanus lib. 12. de homine.

Non tamen hic prætermittam unum notabile monstrum, quod refert Lyranus in *Genes.* homo fidei integrernæ; dicit ergo paucò tempore ante quam in *Genes.* scriberet, accidisse in Gallia huiusmodi monstrum ita ut nata sit puer la duo habens capita, & quatuor brachia, ita ut à pectori ad partem superiorem esset duplex corpus, à pectori ad reliquam partem, vnicum folium; nutritum est multo tempore illud monstrum, quodlibet caput cibum sumebat, sepiissime vno dormiente alterum vigilabat, tandem vnam mortuum est, & alterum superuxit, atamen mortuum caput, mortuæque membra subiere corruptionem & teterimum dedere mortem ita ut alterum caput illo tetromino fecisse suffocatum sit, ex quo colligere est ibi fuisse duas animas, quia mortuæ ynä parte superuxit altera, debuitque baptizari, vt duo homines. Simile omnino his diebus ostentabatur Parisijs.

Hic queri solet, an aliqui effectus possint dici fortuiti respectu Dei? Item an natura intendat monstrum?